

Universitätsbibliothek Wuppertal

Quatuor D. N. Jesu Christi Euangeliorum Versiones per antiquæ duæ, Gothica scil. et Anglo-Saxonica

Junius, Franciscus

Dordrecht, 1665

Widmungsbrief

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-702](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-702)

ILLUSTRISSIMO ET
EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
D. MAGNO GABRIELI
DE LA GARDIE,
COMITI DE LECKOU ET ARENSBURG,
DOMINO IN HABSAL, MAGNUSHOFF,
ET HOYENDORP,
S. REGIÆ MAJESTATIS REGNIQUE SUE-
CIÆ SENATORI ET CANCELLARIO,
WESTER-GOTHIÆ AC DALIÆ JUDICI
PROVINCIALI, NEC NON ACADEMIÆ
UPSALENSIS
CANCELLARIO.



Anta veterem linguam
Teutonicam claritas undiqua-
que superfluit, ut ei hoc nostro
sæculo propter singularem lon-
gè latèq; diffusi idiomatis uber-
tatem, splendorem, magnificentiam, specta-
bilèmq; nativi decòris exsuperantiam primas
* 2 lu-

lubentes concesserint magni nominis exteri:
unde & mihi, ad hanc præstantissimæ linguæ
celebritatem erecto, turpe præter cæteros vi-
debatur nescire ultimam nobilis linguæ stir-
pem, natales, cunabula, quibúsq; processibus
in excelsitatem aliis quoque gentibus agnitam
evecta fuerit. Sed quorsum, quæso, expe-
riatur quis, quod se assequi posse diffidat? ubi
locorum quærat? quò inquisitionem suam pri-
mùm intendat omni Annalium memoriâ,
quam replicet, destitutus? quomodo denique
ex mediæ sæculi obscuritate atque ignorantia,
post tot tantásq; pugnacissimarum gentium
incurSIONES, excidia, transmigrations, eruere
quis valeat quod non turbidæ nec ambiguae,
sed puræ liquentiúsq; sit fidei? Ab hac itaque
spe depulsus, omnem meam curam operámq;
ad Theotisca atque Anglo-Saxonica monu-
menta contuli, rimaturus an aliquod in iis de-
prehenderem initium inveniendi quod quæ-
re-

rebam. Cæterùm ut in Theotiscis frustra
operam sumpturum præmonebant sequentia
Otfridi verba, *Lingua hæc veluti agrestis habetur,*
dum à propriis nec scripturâ nec arte aliquâ ullis est
temporibus expolita: ita majorem spem videban-
tur ostendere monumenta Anglo-Saxonica,
peculiaris magnæ Britanniaë thesaurus. Sed
hîc quoque altum de linguarum Septentrio-
nalianum origine silentium, ut ut manifesta non
vulgaris eloquentiæ vestigia passim eluceant
in iis quæ Cædmon monachus; Warnfridus,
Ælfricus, & Lupus episcopi, nec non inclytus
Anglo-Saxonum rex Alvredus, aliîq; plures
posteris reliquerunt. Unicè interim delecta-
tus cursu & sono rotundi volubilîsq; sermo-
nis, libuit porro experiri an pari sonoræ co-
piosæq; dictionis structurâ ferrentur illa veteris
linguæ Gothicæ specimina quæ A° c l o I o x c v i i .
edidit Bon. Vulcanius; ac re totâ penitiùs pen-
sitatâ, statim sensi tantum interjectum videri

intervallum inter Gothica atque Anglo-Saxo-
nica, quantum inter Anglo-Saxonica & The-
otisca deprehendunt in hoc studiorum genere
disquirendo disceptandóq; exercitati elimatí-
que. Collatis quoque speciminibus istis cum
Alamannorum Anglo-Saxonúmque dialecto, ita
benè prosperéq; videbatur mihi procesfisse
negotium, ut beatulorum omnium vicos &
prata præ hac meâ operâ pro nihilo ducerem,
veluti clarissimis argumentis signísq; jam per-
ductus ad ipsum caput fontemq; linguarum
Septentrionalium: Francicam enim Anglo-
Saxonicámque ex vetere Gothicâ promanâsse,
ipsam verò Gothicam (ut quæ solâ dialecto
differat à Græcâ vetere) ab eadem origine
cum Græcâ profluxisse judicabam. In his
eram gaudiis, quum impendio mihi magis
gaudere cœpit animus, ineffabili quadam pro-
ximáq; majore voluptate delibutus ex repen-
tino inexpectatóq; ipsius Argentei codicis
con-

conspēctu. Habeo sanè quod Cœlo hîc im-
putem; siquidem intelligo immortalis Dei
nutu memoratum Codicem ad manus meas
perlatum, atque ejusdem quoque Numinis
consilio provisum, ut Sacrosanctum depositum,
Excellentiâ vestrâ authore, in Sueciam revo-
caretur, interq; potissima Regiæ bibliothecæ
decôra reponeretur. Magnæ certè ac minimè
vulgaris Prudentiæ fuit, sensisse meritum Li-
bri paucis intellecti; majoris Magnanimitatis,
securitati ejus consuluisse; cumulatissimæ de-
nique consummatisimæq; Virtutis, & sen-
sisse & salvum voluisse. Atque adèò memo-
riam divinæ huic virtuti Tuæ debitam, nullius
unquam vetustatis abolebit oblivio; sed me-
ritissimam operæ navatæ famam non modò
propagabit aletq; grata Posteritas, verùm ipsa
quoque tuebitur Æterno verbo favens Æter-
nitas; quæ & Ipsa curabit, ne hæc Tua, Ma-
gne Comes, laurea recentem ullo temporis
in-

intervallo amittat viriditatem, ac potior Tibi
nunquámq; marcessens alia in glorioso sancto-
rum Angelorum beatarúmq; Animarum cœ-
tu tribuatur. Sed sicuti primùm gaudio mihi
fuerat Codex improvisò oblati, ita mox
gaudio isti vix consolabilis ægritudo interces-
sit, cùm nobile clarissimæ famæ monumen-
tum nusquam totum appareret; atque ipse
adeò Codex desideraretur in codice vetustate
multis in locis exeso, madore vitiato, frustra-
tim quondam discerpto, ac solutarum dissi-
patarúmq; philyrarum imperitâ compagina-
tione indigesto, mutilo, fœdo. Hanc in-
comparabilis monumenti jacturam me præter
multos non solum dolenter, sed propemodum
impatenter tulisse fateor; donec relictis
comportatísq; luctuosi naufragii tabulis, in unò
atque altero Euangelistâ quatuor subinde vel
quinque, immò & novem quandoque vel
decem integra ferè capita mutuò sibi cohærere
de-

deprehendi: quæ cum sufficere viderentur ad explorandum linguæ aliquot ab hinc seculis deperditæ & hæctenus ignotæ genium, ex propiore primùm intuitu, ac mox è prospectu remotiore, ex omnium denique circumspectu comperi nullum Gothis lumen, nullum florem dicendi defuisse; ita in totius Euangelicæ historiæ altiùs quasi exaggeratâ dictione naturalis quidam ac minimè fucatus nitor emicat, dum res magnæ admirabili electissimorum verborum splendore graviter ornatèq; illustrantur, ac justum ubique servatur pondus authoritatis majestatisq; Sacrosancto codici congruæ. Ad hæc si quis nunc mihi advertat animum, næ is profectò vel invitus agnoscat singularem illius linguæ in liberâ oratione vim ac facultatem, quæ ad sermonis Græci proprietates, ubertatem, emphasin haud improspere ausa est adspirare. Plurima hujus nostræ assertionis documenta lectori exhibent doctissimæ Thomæ Mareschalli in hæc

* *

Euan-

Euangelia Observationes; quem ego virum
omni observantiâ dignissimum ac mihi præter
cæteros venerandû honoris causâ hîc nomino,
rationem Excellentia vestræ redditurus cur ei,
donec persuasissem, suadere non destiterim ut
nimiâ operis mole tantum non oppresso amicam
commodaret operam, ac suum quoque studium
huic nostræ Argentei codicis editioni dicaret.
Quoniam verò non sum nescius, Excellentissi-
me Princeps, fore ut incurram in reprehensiones
vel Imprudentiæ, quòd veteris linguæ Gothicæ
primos immaturósq; conatus præfestinanter in
publicam lucem protruserim; vel Impudentiæ,
quòd eos, etiamnum crudos, illustrissimo no-
mini Vestro inscribere non dubitaverim; brevi-
ter quoque proponam utriusque ausi rationem:
quæ si Æquitati Vestræ probabitur, ne tenuissi-
mam quidem hujus illiúsve criminis notam famæ
nostræ inuri posse judicabo. Enimvero multi-
modis mihi cum isthoc animo vituperandus vi-
de-

derer, si mei ipsius fiducia subnixus informem
partum tollere decrevissem; at nunc nemo sa-
nus factum culpabit: siquidem nullâ meâ vo-
luntate hanc suscepi provinciam, sed suafu atq;
instinctu hominum genere, ingenio, virtutibus,
ordine, existimatione, copiis ornatisimorum,
ex quibus non nemo plurimum etiam apud Te
valebat. Extemplò igitur cesi obtendentibus
authoritatem iudicii Vestri, vel (ut ego quidem
interpretor) Vestræ testimonium benevolen-
tiæ; cui cum difficillimum erat, tum ne æquum
quidem, præsertim in re bonâ, diu reluctari.
Quod si Tu, Magne Heros, tenuissimâ favoris
Tui aurâ hanc nostram qualemcunque operam
afflare dignaberis: cæterorum hominum neque
laudes ambitiosè aucupabor, neque criminatio-
nes vehementer exhorrescam; probèq; mihi
semper constabit utriusque facti ratio, cur &
publicaverim, & publicatum opus (quod alte-
rum erat inconsultissimæ reprehensionis caput)

inclyto nomini Vestro nuncupaverim. Nihil enim rectæ rationi magis consentaneum, nihil bono & æquo convenientius, quàm ut illustre adeò veteris ecclesiæ Gothicæ monumentum committatur tutelæ ac patrocínio Ejus, qui altâ mente nihil nisi publicam utilitatem fructúmque; intuetur; & qui præsens opus non ob aliud urgere ac promovere studuit, quàm quòd illud Sueogothorum Regi ac genti gloriosum, totíque; adeò Orbi Christiano apprimè utile fore judicaret. Quod si tamen hac meâ nuncupatiunculâ cuiquam videbor Excellentia vestræ gratiam apertè nimis captâsse, minimè mihi declinandam deprecandámque; hujus ambitionis invidiam putabo; sed ultrò potiùs ac liberè profitebor, mihi nunc nihil rerum omniũ esse quòd malim, quàm tanti voti posse fieri compotem. Nihil enim causæ video cur homini bonarum literarũ studiis ab ineunte ætate deserenti, non sit in optatis aliquo gravioris curæ, ac severioris doctrinæ

monumento demereri posse qualemcunque pro-
pensæ voluntatis Vestræ inclinationem ac gra-
tiam, quam nemini bono interclusam esse pati-
tur animus omni humanitate perpolitus, quàmq;
& mihi porro propitiam fore confido; quousque
Tui cultus in dies singulos apud me augeſcet.
Deus optimus maximus, Excellentissime Co-
mes, complures Tibi quàm felicissimos largia-
tur annos, quò authoritatem ac famam ex so-
lidâ rerum gestarum gloriâ coalitam corroborata-
tâmq; aliis super alia operibus porro tuearis,
confirmes, amplifices. Sic vovet

Illustrissimæ Vestræ Excellentiae

addictus, deditus, obstrictus,

FRANCISCUS JUNIUS F.F.

In